

que substantiam ipsam actus, et quidquid est in actu annexum difficile facit. Ergo si hoc ipsum mediante habitu expedite facit, ipse habitus in totum illud actus influit, licet sub ratione magis determinata, et perfecta, et actuata.

XXX. Addo, quod cum habitus influat in operationem simul cum potentia, licet sub ratione magis determinata, et prompta, seu adjuvando potentiam, etiam possumus ex parte operationis, seu effectus aliquid assignare quod correspondeat habitui, et in illum reducatur, et aliquid quod potentiae, non quidem materialiter, sed formaliter, scilicet eadem res, vel prædicatum sub diverso respectu, scilicet in quantum perfectum, aut perfecte factibile a potentia: cum enim operatio aliqua, vel effectus possit fieri, et perfecte, et imperfecte, idem effectus secundum se consideratus correspondet potentiae, et habitui, sed ut perfecte factus habitui, ut imperfecte potentiae nudae, seu privatae habitu. Et cum instatur, quid sit ly perfecte, an ipsa substantia actus, vel effectus; an modus superadditus, et quid sit.

XXXI. Respondetur quod in ly perfecte clauduntur omnia, quae debita sunt rei in substantia, et accidentibus, et in quantum hæc faciunt statum perfectum in ipso effectu, seu operatione, sub hac formalitate respiciuntur ab habitu, quia ad hoc tendit, ut res vel operatio fiat sub tali statu, et sub tali convenientia per se loquendo, eo quod potentia sola sine habitu non potest per se loquendo ad perfectum adducere, licet aliquando faciat, quasi per accidens, et irregulariter. Unde nec est sola intensio actus, vel ejus singularitas, aut promptitudo sola, vel facilitas in operando, quatenus se tenet ex parte potentiae, sed quidquid in operatione,

vel effectu est ut in debito, et perfecto statu sit, sub hac ratione perfecti attingitur ab habitu etiam ipsa substantia actus, et sub hac formalitate reducitur ad habitum, licet substantia actus secundum se, aut sine tali perfectione, et statu possit fieri a potentia. Et hoc modo recte dici potest, quod substantia actus correspondet potentiae, sumendo substantiam secundum se, et sub statu informi, sub statu autem perfecto correspondet habitui, ita tamen quod habitus etiam in entitatem operationis influit non informem, sed formatam, et perfectam. Sed quia in hac ratione perfecti est magna latitudo, et aliquando potest magis, vel minus perfecte fieri, etiam habitus potest magis, vel minus perfecte facere; semper tamen sub aliqua perfectiori ratione facit, et perfectior aliquis status in operatione, vel effectu correspondet habitui.

XXXII. Unde non concurrit, ut causa per accidens ad substantiam actus, sed per se, non absolute, sed prout conducit ad perfectum statum ejus etiam ipsa substantia actus. Et hæc perfectio non potest fieri a sola potentia. Unde non se habent habitus, et potentia sicut duo portantes lapidem, quorum quilibet æque potest totum portare, sed sicut duo portantes lapidem, quorum neuter potest perfecte, sed unus adjuvat alium ut perfecte possit, fiatque una causa integra ex illis: quamvis sit differentia, quod duo portantes lapidem, in diversis partibus applicant suos effectus, et non indivisibiliter eundem impulsum emittunt. Habitus autem ita in visceratur intime in potentia, ut ad eundem indivisibilem actu, et effectum, et pro indiviso cum potentia concurrat, licet sub alia formalitate. Homo autem musicus ita se habet, quod musica respectu generationis nihil

conducit, neque quoad substantiam, neque quoad perfectionem.

XXXIII. Secundo arguitur: Habitus superveniens potentiae supponit in ipsa virtutem ad influendum active in operationem, non solum inchoative, sed etiam sufficienter; si quidem de facto ante generatum habitum potentia sola actus producit, ex quibus habitus generatur, ergo habet sufficientem virtutem ad producendum illos. Adveniente ergo habitu, vel crescit illa virtus potentiae in eadem linea, et ordine potentiae, et quasi activitas, et virtus ejusdem speciei, et rationis cum potentia, vel alterius speciei. Non ejusdem, quia habitus specie differt a potentia, nec potest virtus potentiae magis, vel minus crescere. Non alterius, quia tunc non influet in effectum ejusdem speciei, scilicet in eandem substantiam, et entitatem actus, sed in aliquem modum, vel aliquid superadditum actui. Nec assignari potest quomodo influat activitas diversae speciei in eundem numero effectum, nisi vel sit causa instrumentalis alterius, vel una particularis, et alia universalis. Si enim partiales causae sunt, debent esse ejusdem speciei, ut duo homines portantes, et tunc per accidens concurrerit utraque causa, et aliquid respondebit uni, quod non alteri, totales vero, et adæquatæ causae esse non possunt.

XXXIV. Si vero dicatur esse causa instrumentalis ipse habitus respectu potentiae, oportet quod aliquid operetur secundum se, et aliquid ultra se ex participatione causae principalis, quod certe assignabile non est, et similiter ipsa causa principalis se sola operari non poterit actum: sicut artifex sine instrumento non operatur, cum tamen potentia sola faciat actum. Similiter non se habent, ut causa universalis, et particularis, si quidem potentia si-

ue habitu producit actum, causa autem universalis, ut sol non producit hominem sine causa particulari. Quod si dicatur habitum solum dispositive influere, ut prompte, et facilius potentia operetur contra est, quia ad hoc sufficit, quod ipsam potentiam disponat, et tollat impedimenta, ut possit ipsa vis potentiae sola influere, sicut qui removel lapidi impedimenta ut descendat, non est necesse quod addat vim, et activitatem gravitati. Et praesertim hoc patet, quando habitus in una potentia existens disponit ut alia operetur, sicut religio existens in voluntate facit ut intellectus actum orationis eliciat, qui religiosus est, tunc enim non elicit cum intellectu active, sed pure disponit extrinsece ex parte voluntatis, ut applicetur intellectus. Confirmatur, quia habitus est causa æquivoca actus, differunt enim specie actus, et habitus, ergo si habitus procedit ex actu, non poterit ex habitu generari actus, quia in causis æquivocis non datur reciprocatio; sol enim generat hominem, sed non homo solem.

XXXV. Respondetur habitum supponere in potentia sufficientem virtutem ad producendum actum, sufficientia indifferenti, et indeterminata, et imperfecta, concedo; sufficientia convenienter disposita, et perfecte determinata, et actuata, nego. Et licet potentia sine habitu producat actum, si quidem per illum generat habitum, non tamen eodem modo, nec ita perfecte, etiam quoad substantiam: sicut puer potest portare aliquid, aut motum efficere, et currere, et adolescens potest generare, sed non ita perfecte sicut vir.

XXXVI. Ad replicam, quod adveniente habitu non crescit virtus potentiae in specie, et linea potentiae, verum est, crescit tamen in actua-

litate, et determinatione, et convenienti dispositione potentiae; sicut etiam concursus Dei datus potentiae, et causae creatae non addit novam partem, vel speciem potentiae, quia virtus potentiae indifferens, et indeterminata est, et si illa virtus quae adderetur potentiae per habitum esset ejusdem speciei cum potentia, esset etiam indifferens, et indeterminata, ac per hoc non determinaret, nec magis actuaret potentiam. Est ergo activitas quam superaddit habitus distinctae speciei a potentia, sed non est species distincta dispartite se habens, sed determinativa indifferens, et virtutis ejus ad illos ipsos effectus, ad quos potentia se extendit, et ideo licet sit habitus speciei diversa a potentia, potest tamen adjuvare illam, et influere cum illa in eandem speciem, et substantiam actus, quia ut sit activitas speciei diversa, sufficit quod diverso modo, et sub diversa ratione formali tendat in operationem, vel effectum, licet effectus idem sit, quia videlicet tendit ut causa magis determinata, et restricta, et magis particularis ordinata ad determinandum, et particularizandum indifferens potentiae, et sic non concurrat eo modo quo illa, scilicet ita universaliter, et indifferenter, sed magis particulariter, et determinate, ad eundem tamen effectum. Unde assimilantur isti influxus habitus, et potentiae causae universali, et particulari quantum ad hoc, quod potentia est vis magis universalis, et indifferens, et ad plures species actuum se extendens, habitus autem ad aliquam determinatam speciem coarctatur, ad quam perficit, et acuit potentiam, ejus indifferens determinando, et actuando non absolute, et adaequando ipsam virtutem potentiae, indifferens est, sed secundum vim determinantem, et actuantem ad ta-

lem speciem actus particularem, et ita ad eandem speciem, et substantiam actus ad quam concurrat potentia ut vis indifferens, et universalior, concurrat habitus ut determinata, et actualior.

XXXVII. Et cum dicitur, quod in causis universalibus, causa ipsa universalis se sola non producit totum effectum, sed conjuncta causae particulari, respondetur quod aliquando potest causa universalis sine causa particulari producere totum effectum causae particularis, aliquando non, sicut sol potest generare herbam, et murem, et alia animalia imperfecta se solo, etiam sine concursu, et influxu talium animalium, aliquando vero non potest, sicut non potest se solo generare equum, vel hominem, non intervenientibus istis particularibus agentibus. Sic potentia universalis, et indifferens potest se sola sine habitu producere actus sui ordinis naturalis, quia respectu istorum habet virtutem sufficientem, licet imperfectam, et non convenienter dispositam, et determinatam: sicut ensis obtusus potest scindere, sed imperfecte, et difficulter, si autem acuatur, scindet perfecte, et potentia si acuatur per habitum operatur convenienter; aliquando autem non potest aliquid operari potentia nisi interveniente habitu, ut in actibus supernaturalibus, licet in his potentia per habitum elevetur, sol autem quando cum homine operatur, non elevatur.

XXXVIII. Ad aliam vero replicam, quod ad hoc sufficit habitus dispositivus se habere, non active, respondetur non posse disponere activam potentiam ad agendum nisi activitate aliqua, quia determinatur, et actuatur indifferens potentiae ut agat, et talis determinatio cum sit in genere, et linea activitatis, activitas esse debet; nam disposi-

tiones etiam activae esse possunt, quando videlicet disponunt ad agendum. Et quando virtus existens in una potentia extendit se ad operandum, et eliciendum in alia, oportet id fieri per aliquam diffusionem virtutis suae, seu redundantiam in illam per quam illa alia potentia perficitur, et confortatur, ut docet D. Thomas infra quaest. lvi, art. ii, et nos ibi explicabimus.

XXXIX. Ad confirmationem respondetur, quod actus, et habitus proprie non comparantur ut causa, et effectus aequivocus, quia actus proprie non est causa habitus, sed potentia per actus tamquam per causalitatem. Unde servatur illa proportio de causa aequivoca, et effectui inter potentiam, et habitum, quia potentia generat habitum, non habitus producit potentiam. Respectu vero actuum non est quod servetur, quia actus causa non est, sed causalitas. Verificatur tamen quantum ad hoc, quod habitus non producit eos actus a quibus generatur, nec eo modo, sed alios, eosque perfectos: sicut etiam sol producit radios directos, et ex illis reflexi producuntur, non ad producendos eosdem directos, sed ad reflexos, et per eos vehementiorem lucem, et calorem augendum.

Tertio arguitur ad probandum, quod habitus concurrat ad solam substantiam actus cum potentia, non ad modum magis perfectum, verbi gratia, quod habitus ut quatuor concurrat cum potentia solum ad operationem ut quatuor, si vero aliquid ultra illa quatuor producat id non esse ab habitu, sed a potentia, et sic habitus nunquam influit in rationem perfectiorem, sed in id quod aequatur potentiae. Et ratio est, quia nulla causa potest agere ultra activitatem suam, sed habitus ut quatuor est inferioris activitatis, quam actus perfectior ut lex; ergo non

potest illum producere, sed ille major excessus a quatuor ad sex erit a potentia non ab habitu. Patet consequentia, quia non est aliud principium a quo possit provenire. Et a simili constat, quia antequam esset generatus habitus ut quatuor, actus illi ut quatuor quibus fiebat, procedebat a sola potentia, ergo ut postea generetur habitus ut sex, etiam ille major excessus ut sex erit a potentia, si quidem ita se habent actus ut sex ad generandum habitum ut sex, sicut actus ut quatuor ad generandum habitum ut quatuor, ergo a quo principio procedunt actus ut quatuor, et habitus ut quatuor, procedent etiam actus ut sex, et habitus ut sex, et a simili idem patet in habitibus supernaturalibus. Nam si est charitas ut quatuor in voluntate, non poterit producere actum ut sex, nisi roboretur, et superaddatur ei aliqua virtus ab auxilio divino ut possit in actum perfectiorem prorumpere; ergo ad perfectiorem modum operandi semper indiget habitus aliquo perfectiori principio roborari, in naturalibus quidem a potentia, quae est causa generativa habitus, in supernaturalibus autem ab auxilio divino, quia Deus est causa infundens habitus supernaturales.

XL. Ex hac autem doctrina, quae certa videtur, deducitur ulterius argumentum ad probandum non dari habitum acquisitum ad producendam operationem perfectam magis quam producat potentia; sed ad producendum idem quod potentia, atque adeo ad substantiam actus dari. Quidquid vero perfectioris modi est, a potentia est. Et ratio est, quia si datur habitus ut duo, vel ut quatuor, tota illa perfectio a potentia processit, si quidem acquisitus, et generatus est habitus ille a potentia per actus similis perfectionis. Ergo si habitus solum potest in actum per-

fectum ut quatuor, vel ut duo, non respicit aliquam diversam perfectionem in actu, quam ipsa potentia, atque adeo idem facit quod potentia, non aliquid perfectius, si quidem jam ipsa potentia produxerat actus illos in eadem perfectione in qua est generatus habitus, scilicet ut duo, vel ut quatuor. Si autem habitus respicit aliquam majorem perfectionem in actu producendo, verbi gratia si est habitus ut quatuor, quod producat actum ut sex, ille major excessus, et perfectio non potest esse ab habitu illo ut quatuor, sed debet a potentia roborari, ut procedat in actum ut sex; ergo nunquam verificatur, quod habitus respiciat majorem perfectionem in actu pro ratione formali, quam ipsa potentia, sed idem prorsus facit, quod potentia. Confirmatur in artibus, quæ inclinant ad faciendum effectus artificiosos: nam tota substantia artefacti, ut talis, distinguitur ab eo, quod naturale est: ergo non reducitur in principium naturale, quod est potentia, sed in artem, quæ est habitus. Tota ergo substantia effectus artificiosi est ab habitu.

XLI. Respondetur verum esse, quod in intensione actus producendi non potest habitus se solo virtutem dare ad excessum superexcedentem, verbi gratia habitus ut quatuor ad actum ut sex; sed nascitur ille major excessus ex majori conatu potentiæ ad utendum illo habitu, et applicandum se ad operationem. Quod vero conatus, et applicatio sit major, non nascitur ex sola potentia, quia potentia est virtus indifferens, et indeterminata ad majorem, vel minorem conatum operandum, et ideo semper indiget applicante, et determinante, et excitante, ut de facto majorem conatum, et applicationem habeat, causa autem applicans, et excitans, est vel objectum fortius movens, vel passio ve-

hementior, vel Deus majori vi concurrens, vel causa extrinsece proponens, et persuadens, aut aliquid simile, unde videmus quotidie oriri in nobis vehementiam, et conatum ad agendum. Et ad hoc etiam multum disponit ipse habitus, qui etiam si sit minoris intensiois, verbi gratia, ut quatuor, tamen, quia jam potentia ipsam determinavit, actuavit, et faciliorem reddidit ad operandum, etiam magis disposuit ut ampliorem conatum, et concursum recipiat a causis applicantibus, et a Deo, quam si maneret potentia sine habitu in sua cruda, et totali indifferentia. Et hic semper habitus disponit, et perficit, et veluti acuit potentiam ad perfectius operandum, et non solum ad substantiam actus quomodocumque faciendam, quia non solum inclinatur ad faciendum actum cum intentione æquali, sed etiam disponit ad superexcedentem, quam magis habilitat ad concursum, et applicationem majorem, et ad majorem conatum, quia connaturalius est, quod talis conatus, et concursus major detur potentiæ jam actuatæ, et determinatæ per habitum etiam minus intensum, quam potentiæ pure indifferenti, et indeterminatæ, quæ de se non inclinatur ad determinate ad perfectum, sed indifferenter ad perfectum, vel imperfectum, et hoc cum difficultate, habitus vero determinate semper ad perfectius, vel in intensione, vel in facilitate, et promptitudine, unde communiter oritur major intensio.

XLII. Quando ergo dicitur, quod habitus solum inclinatur ad actum æque intensum, ad quem etiam potentia sola sufficit, si quidem talem habitum per similes actus produxit, respondemus inclinare habitum ad similes, et æque intensos actus, distinguo; ad æque intensos tantum, et eo modo quo potentia, nego antecedens; ad æque intensos meliori

modo, quo potentia, et cum dispositione majori ad intensiores producendos, concedo. Ex hoc autem non sequitur, quod habitus solum influat in entitatem actus, vel in illam intensiorem, quam etiam efficit potentia, non autem influat in perfectionem actus sub ratione perfectioris modi influendi. Itaque potentia efficit actus in substantia, et in ea intensione, et gradu, quo producuntur habitus, verbi gratia ut quatuor, vel ut sex, sed in hoc ipso influxu procedit, et influit habitus diverso modo quam potentia: nam potentia procedit, et influit ut magis indifferens, minusque determinata, et actuata, et secundum generalitatem potentialem, et imperfectam. Unde oritur quod minus facile, et prompte operetur de se eisdem actus tam in entitate, quam in illa intensione, in qua generatus habitus. Ipse autem habitus actuatur, et determinatur potentiam, tollitque ejus indifferentiam ad talem speciem, seu entitatem (habitibus quippe ad speciem actus datur, et ad illam per modum actus primi determinatur, et inclinatur ad potentiam; ad individuum autem, et ad exercitium actus non tollitur indifferentia per habitum, sed per concursum) et inde oritur quod promptius, et facilius agat, quia actualius, et cum majori determinatione.

XLIII. Et ulterius etiam disponit ut intensiores actus producantur, quia licet ejus activitas solum sit ut quatuor et ad actus ut quatuor, tamen habilitat potentiam, et disponit ut melius applicetur ad majorem, et fortiorem conatum, ex quo sequitur actus intensus ut sex, vel ut octo, eo quod cum per habitum sit magis actuata potentia, minusque indeterminata ad illam speciem actus, consequenter habilior redditur ut in fortiorem conatum prorumpat, quam si sic actuata, et determinata non

esset, semper ergo habitus respicit perfectiori modo, id est, actualiori, et magis determinato, magisque habilitato ad intensiores actus procedere, quam sola potentia. Et ita fatemur quod tam in actibus supernaturalibus, quam acquisitis major excessus, et intentio super intentionem habitus non procedit a sola activitate habitus, quæ inferior est, sed a majori conatu proveniente in supernaturalibus a majori auxilio, in naturalibus a potentia non utcumque, sed ut applicata, et excitata vehementioribus objectis, eorumve persuasionibus, et ostensione, vel majori Dei concursu, aut favorabilioribus circumstantiis: ad quæ omnia valde conducit, et habilitat etiam ipse habitus, si quidem tam potentia, quam habitus prorumpunt in illum majorem conatum, et applicantur ad actum intensiorem tanto melius, quanto potentia ipso habitu magis expedita, et actuata manet, quam habitu destituta, melius enim est disposita etiam ad vehementiorem conatum.

XLIV. Ad confirmationem respondetur non solum ab habitu artis provenire actum, vel effectum artis, sed etiam a potentia, licet imperfecte, et minus disposita, si quidem potentia acquirit habitum artis per similes actus; ergo ante potentiam illos elicit, sicut in quolibet alio habitu. Postquam autem productus est habitus artis, ille concurrat ad ipsam substantiam, et speciem actus artificiosi sub promptiori, et faciliiori modo, sicut in aliis habitibus in ordine ad suos actus dictum est.

#### ARTICULUS V.

*Quid de augmento extensivo habituum?*

I. Ex duplici habitudine quam dicitur habitus, scilicet ad subjectum in